



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 12. Ranarum quanta fuerit in Ægypto plaga?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

git, sed vilia, paruaq; ; atq; ita noxios plecti.  
 Quod tunc etiam Ægyptus accidit. Quid e-  
 nim sciniphe vilius? Tamen tantum effecit,  
 ut tota Ægyptus deficiens, exclamare cogere-  
 tur: Hunc esse Dei digitum: manus enim eius,  
 ne à tota quidem terra, quanta, quanta est,  
 immo nec à mundo uniuerso sustineri posset.  
 Hæc Philo.

## §. XII.

Ranarum quanta fuerit in Ægypto plaga?

Phil. loc.  
 cit. l. 1. c. 10.

ay. 26  
 20y. 17

Qui etiam, ne quis à paruis paruam  
 molestiam oriri duntaxat existimet, se-  
 cundam Ægypti plagam ita describit. Dixit  
 Aaron manum extenderat, cum ranarum  
 tanta vis prorepset, ut non solum fora comple-  
 ret, ac loca subdinalia; verum & domos, &  
 villas, & cuncta ædificia tam sacra, quam pro-  
 fana; tam priuata, quam publica; haud secus  
 ac si genus hoc aquatilium missum esset in di-  
 uersi elementi coloniam; natura mutante re-  
 rum vicissitudines. Terra quippe contraria est  
 aquæ. Itaque cum nec foras progredi possent  
 homines, vis oppletis, nec intus manere, re-  
 fertis etiam intimis penetralibus, & ad sum-  
 mas quoque contignationes ranis obrepentibus,  
 ad extremam desperationem redacti sunt. Nil-  
 lus igitur fuit sensus, qui à vilissima hæc  
 bestia

bestia non miserè infestaretur. In oculis  
aspicientium spina erat tam immensa vis,  
multitudo, & deformis figura, ora vsque  
ad aures diducentium, ventrésq; trahen-  
tium ranarum. Auribus Ægyptiorum nul-  
la quies erat, à continuis earum clamori-  
bus, cùm velut de choro ad chorum iden-  
tidem molestissimè coaxarent: & velut  
cachinnantes populum illum irriderent.  
Gustui quoque cruciatum maximum pe-  
pererunt. Nam ijs refertus erat fluuius, vt  
aqua inde non, nisi sanie ranarum vitiata,  
hauriri posset, immorientibus earum ple-  
risque, atque putrescentibus. Quin & do-  
mesticum victum foedabant, in esculentis  
atque poculentis nusquam non repertæ,  
quæ omnia conspurcabant & corruppe-  
bant, teste Iosepho: Odoratum verò teter-  
rimo foetore, quem exhalabāt vel mortuæ  
ac putentes, vel viuæ, turpi limo, è quo e-  
nascebantur, & in quem resoluebantur,  
plenæ, per omnia cubilia passim oberran-  
tes. Quas tangere etiam abominabile erat,  
cùm præsertim plurimæ earum noxiæ es-  
sent ac venenatæ, neque foedarent tantùm  
contaminarentur tangentes, sed etiam in-  
ficerent.

§. XIII.